



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXIII. Argumentum. Celebris Theologorum Controversia, An fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit infinitus, vel finitus? breviter, sed clarè exmaninantur, & resolvitur. Fructus Missæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

debet iterum consecrare novam Hostiam, & novum vinum, & utrumque iterum sumere; & hoc quamvis defectus fuisset non solum in utraque specie consecrata, sed etiam si in una tantum, siue in specie Panis, siue in specie Vini, dicta Rubrica Missalis cap. 3. num. 6. & cap. 4. num. 5. Sanctus Thomas 3. part. qu. 83. art. 6. ad Quartum. Ratio est, nam licet una ex speciebus fuerit valide consecrata, quia altera defecit, non potuit expressè representare Sacrificium cruentum Crucis, ad quam expressam representationem, ut dictum est supra num. 11. & 12. requiritur utraque species valide consecrata in eadem actione, & Sacrificio Missæ. Excipit Rubrica Missalis d. cap. 4. num. 5. nisi timor sit scandali; tunc enim ad scandalum evitandum satis est consecrare noviter aliam speciem ab illa, 36 quæ reperta fuerit inepta, & eam consecratam statim sumere. Bissus in Hierurgia tom. 2. Verbum Vinum, §. 7.

37 Documentum septimum, & ultimum. Si Sacerdos celebrans ita graviter infirmetur post consecrationem unius, vel ambatum specierum, ut prosequi Sacrificium non valeat; Missa expleri debet per alium Sacerdotem ab eo loco, ubi ille desuit; & in casu necessitatis etiam per non jejunum. Rubrica Missalis d. tit. cap. 10. numer. 3. Diana part. 10. tract. 11. resol. 4. Quæ in Coordinato obtrinit sedem in tom. 2. tract. 1. resolut. 239. ubi movet dubium; quid agendum, si alius Sacerdos haberi non possit, nisi die sequenti; an sit complendum

38 Sacrificium relictum imperfectum antecedenti die ob mortem celebrantis? Et respondet, affirmare Henriquez lib. 9. cap. 40. n. 1. & Tamburinum in Opuscul. de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 8. §. 1. num. 6. & ibi Sa non expunctus verb. Missa num. 38. Sed negare Averlani de Sacram. Eucharistia quest. 11. sect. 2. cui ipse Diana adhæret, ea ratione, quia per dilationem unius diei non esset una moralis actio per continuationem moralem; unde in tali casu, satis esset, ut in alia Missa sumerentur Species consecrata; quæ in Altari remanserunt ob decubitu celebrantis antedicti. Quod si idem celebrans decumberet post Communionem Hostiæ, an alius Sacerdos debeat supplere fumendo Sanguinem? & 39 Missam perficendo usque in finem? Diana part. 10. tract. 12. resol. 15. Coordinatus autem d. tom. 2. tract. 1. resol. 240. ponit quatuor opiniones. Primam, quod non sit opus alia perfectione Sacrificii. Secundam, quod sit perficiendum Sacrificium ab alio Sacerdote, qui speciem Sanguinisumat, & Missam compleat. Tertiam, quod alius Sacerdos in tali casu debet Panem novum, & novum Vinum consecrare, & sumere unâ cum Sanguine, qui non fuit sumptus à celebrante defuncto. Quartam, quod alius Sacerdos debet tantum consecrare novam Hostiam, & illam sumere cum speciebus Vini jam consecrati à primo Sacerdote; & omnis opinio habet suos Doctores; ipse tamen Diana amplectitur opinionem secundam; quæ quidem fundatur in Rubrica Missalis d. cap. 10. num. 3. ibi: Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desuit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum.

40 Tandem Lector notet curiosum Casum. Celebrans cadit in deliquium post consecrationem. Juvatur ab assistentibus exhibitione vini cretici, quo sumpto reasumit vires: adstat alius Sacerdos jejunus; quis horum debet perficere Missam? Respondet Gobat in Theol. exper. tract. 3. num. 806. quod ipse celebrans, etsi non amplius jejunus, debet suum Sacram con-

tinuare, postposito alio Sacerdote jejunio, quia præceptum divinum de Sacrificio perficiendo ab eo, qui cœpit, prævalet præcepto jejunii naturalis, quod omnino videtur desinere in tali casu.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Celebris Theologorum Controversia, *An fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit infinitus, vel finitus?* breviter, sed clare examinatur, & resolvitur. Fructus Missæ triplex, generalissimus pro tota Ecclesia Catholica; Medius pro dantibus stipem; & Specialissimus pro celebrante. Utrum una Missa tantum profrat applicata uni, quantum si pluribus applicetur? Omnes cooperantes Sacrificio Missæ magnam fructus partem reportare auctoritatibus, & exemplis comprobatur. Stipendia plura pro una Missa an licite recipiantur?

SUMMARIUM.

- 1 Missa valor, seu fructus an sit finitus, vel infinitus?
- 2 Missa fructus triplex Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius.
- 3 Fructus satisfactorius in Missa habetur semper infallibiliter.
- 4 Offerentes Missam sunt sex.
- 5 Christus est primus, & principalis offerens in Missa.
- 6 Sacerdos celebrans est secundus offerens in Missa.
- 7 Ecclesia Universalis dicitur offerre Sacrificium Missæ.
- 8 Missa Sacrificio actualiter cooperantes dicuntur offerentes.
- 9 Interessentes Sacrificio Missæ inter offerentes numerantur, & reportant fructum specialissimum. Et num. 53.
- 10 Missam audire impense cupientes, dicuntur spiritualiter offerre.
- 11 Fructus Missæ alius ex opere operato; alius ex opere operantis. Et uterque in quibus consistat?
- 12 Celebrantium absque devotione parvus, aut nullus est fructus ex opere operantis.
- 13 Missa fructus ex opere operantis est finitus, & limitatus.
- 14 Missa valor ex opere operato an sit finitus, vel infinitus magna est altercatio inter Theologos.
- 15 Argumenta pro infinitate valoris Missæ ex opere operato.
- 16 Missa est idem Sacrificium cum Sacrificio cœnæ & Crucis.
- 17 Christus est dignitatis infinita.
- 18 Baptismus ex opere operato remittit totam peccatam.
- 19 Merita Christi sunt infinita.
- 20 Commemoratio multorum fit in Missa.
- 21 Missæ fructus crescit, crescente devotione offerentium.

22. Missæ

- 22 Missæ valor non decrevit ob multitudinem adstantium.
- 23 Lux candela, & Vox hominis sine diminutione communicatur multis.
- 24 Missa una an tantum valeat pro uno, quantum pro pluribus?
- 25 Argumenta, quod valor Missæ sit limitatus, & finitus.
- 26 Ecclesia multiplicat Missas pro eadem necessitate.
- 27 Iniquum est applicare uni tantum, quod prodesse potest multis.
- 28 Morituri ordinant pro se plures Missas.
- 29 Stipendia plura pro una Missa prohibitum est accipere.
- 30 Actio Sacerdotis celebrantis est valoris finiti.
- 31 Legata perpetua Missarum non debent esse superflua.
- 32 Oratorum diversitas in Missa non inutilis.
- 33 Charitatis Lege omnibus prodesse debemus.
- 34 Applicatio Sacrificii Crucis in Missa sit limitato modo.
- 35 Missæ Sacrificium in se, & in actu primo est valoris infiniti: in applicatione, & in actu secundo est finiti valoris.
- 36 Christus cur voluerit, sua merita infinita applicare nobis in Missa modo finito, & limitato?
- 37 Sacrificium Missæ incruentum reiterabile: cruentum Crucis non.
- 38 Christus nunc non meretur, neque satisfacit.
- 39 Baptizans plures eodem tempore facit plura Sacramenta.
- 40 Fructus Missæ ex opere operato est totus illius, qui facit celebrare Missam.
- 41 Fructus Missæ triplex, generalissimus, medius, & specialissimus.
- 42 Numerus major, vel minor assistentium Missæ non præjudicat.
- 43 Candela æquè illuminat stantes in eadem sphaera.
- 44 Cap. Non mediocriter 24. de Consecrat. dist. 5. multipliciter declaratur.
- 45 Sacrificia Missæ in toto orbe celebrata profunt omnibus fidelibus, exceptis excommunicatis, & existentibus in peccato mortali.
- 46 Ego volo celebrare Missam, &c. est oratio habens Indulgentiam quadraginta annorum toties, quoties recitatur ante Missam.
- 47 Sacrificio Missæ inservientes, & cooperantes participant de fructu medio ejusdem Sacrificii.
- 48 S. Thomas Aquinas inserviebat Missæ. Idem facit Dux Venetiarum.
- 49 S. Wenceslaus Dux Bohemæ ferebat triticum, & vinum exprimebat pro Missa.
- 50 S. Theresia erat sollicita in rebus spectantibus ad Sacrificium Missæ.
- 51 Anima donatoris domus pro fabricanda Ecclesia liberatur à Purgatorio, in prima Missæ celebratione.
- 52 S. Severus de Montefalco inventum thesaurum expendit in constructione Ecclesiarum.
- 53 Fructus Missæ pro celebrante est equalis, ac major fructu illius, qui dat stipendium pro celebratione.
- 54 Sacerdotes nunquam celebrantes peccant mortaliter.
- 55 Episcopi debent vel quotidie audire Missam, vel eam celebrare.
- 56 Stipendium pro Missa quare sit licitum?

57 Missa una satisfieri non potest pluribus stipendiis.

58 Decretum Urbani VIII. de unico stipendio pro qua libet Missa.

59 Propositiones damnatae ab Alexandro VII. circa stipendia Missarum.

60 Stipendia plura pro una Missa an aliquando licite accipiantur.

Sequitur, ut explicemus, An fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit finitus vel infinitus? nam ex hac quaestione pendet resolutio diversorum dubiorum & præcipue, An una Missa tantum proficit celebrata pro uno solo, quantum si celebretur pro pluribus? Et an liceat Sacerdoti recipere plura stipendia à diversis petentibus Missam, & celebratione unius Missæ possit omnibus satisfacere? In qua quaestione, (quam Mastrius in 4. sent. quest. 6. num. 115. & ibi Coninch. qu. 83. art. 1. dub. 10. vocant obscurissimam, & implicatissimam, eò quia Auctores in ea, etsi prolixè, confuse nimis loquuntur) nos pro tenuitate nostri ingenii brevitati; & claritati studentes, quid tenendum sit, & dicendum, juxta praxim Ecclesiæ Catholicæ hic demonstrabimus. Sunt autem præmittenda tria.

Primum est, quod fructus, seu valor Sacrificii Missæ est triplex, Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius. Eminent. Cardin. de Lugo de Sacram. Eucharist. disp. 19. num. 122. Tamburin. de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 2. §. 1. num. 2. Meritum resultat ex Sacrificio Missæ, quia cum sit opus sanctum, & Deo gratissimum, aptum est ex condigno causare meritum in illis, qui in statu gratiæ illud operantur, prout sit in cæteris piis operibus, ut notat idem Cardin. de Lugo d. num. 122. Impetratio est concessio bonorum tum Spiritualium, tum temporalium, quæ datur à Deo virtute hujus Sacrificii, ut ostendimus supra Decis. XIV. à num. 23. & segg. & habetur in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & can. 3. quæ etiam bona à Missæ Sacrificio provenientia tam justis, quam peccatoribus referuntur à Collegio Salmanticen. tom. 11. de Sacramentis in genere tract. 5. cap. 4. num. 15. Satisfactio est remissio peccatorum, quas solvere justis debent vel in hac vita, vel in Purgatorio ob peccata jam confessæ, & deletæ; quæ quidem vis satisfactiva est propriissima hujus incruenti Sacrificii; nam sicut in Sacrificio cruento Crucis facta fuit pro omnibus ad sufficientiam, sic in isto per applicationem fit ad efficaciam. d. Colleg. Salmanticenf. d. cap. 4. num. 11. & Mastrius d. disput. 6. num. 113. dicens, quod hic fructus satisfactivus ex communi Theologorum sententia habetur semper infallibiliter.

Secundum Præmissum: Offerentes Sacrificium Missæ Senarii sunt, videlicet sex in ordine. Primus est Christus Dominus, tamquam principalis Sacrificans, tum quia in Cruce omnia, & singula Sacrificia futura Patri æterno pro nobis obtulit; tum quia Sacerdos celebrans ejus nomine celebrat, & in ejus persona consecrat; & ipse Christus per suam Humanitatem, tanquam instrumentum divinitati conjunctum; concurret ad transubstantiationem, in qua consistit formalis ratio hujus Sacrificii; tum etiam quia idem Redemptor non solum ratum habet. Sacrificium suo nomine à Sacerdotibus Deo Patri oblatum; sed etiam quia credibile est, eum tanquam Summum Sacerdotem in cælis, singula Sacrificia, quæ fiunt in terris Patri suo, offerre actu elicto ob majorem in Patrem reverentiam,

tiam, & in nos homines amorem, & charitatem. Suarez in 3. p. D. Thom. disp. 77. sect. 1. Colleg. Salmant. d. tract. 5. cap. 2. num. 3. & sequentibus. Et Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disp. 19. sect. 7. Secundus offerens est homo Christianus Sacerdotali charactere insignitus, qui ab ipso Christo habet potestatem consecrandi, & sacrificandi, ut ostendimus Decis. VII. n. 19. & docet S. Thomas 3. p. q. 82. art. 7. & 8. atque definitum est à Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. & 2. & can. 2. Tertius offerens est Universæ Ecclesiæ, à qua Sacerdotes creantur, & aluntur tanquam Legati ad Deum propria; sicut enim Respublica dicitur petere à suo Rege id, quod petit per Legatum suum; sic tota Ecclesiæ in Sacrificiis Sacerdotum petit à Deo omnia, quæ sunt sibi necessaria; ut docet Apostolus ad Hebr. cap. 5. Vers. 1. & dissert Gobat. d. tract. 3. numer. 106. Quartus offerens est ille, qui cooperatur Sacrificio, adjuvans Sacerdotem, vel ei stipendium exhibendo, vel actualiter inserviando, vel paramenta subministrando. Gobat. ibid. num. 107. Quintum locum offerentium occupant illi, qui piæ, ac devotæ interfunt corporaliter Sacrificio Missæ, illam audientes; quod testantur illa Verba Canonis: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis Collegium Salmanticense. d. tract. 5. cap. 2. num. 7.*

10 Tamburin. d. lib. 2. cap. 2. §. 1. num. 1. Quartus in Appendic. de Sacrificio q. 2. punct. 17. & Maffrius in 4. Sentent. disp. 4. num. 112. & ideò reportant à Missæ suum fructum specialissimum, ut infra numer. 53. Sextum tandem locum illi tenent, qui cum nequeant ob impedimenta corporaliter interesse Sacrificio, spiritualiter interveniunt, vota Sacerdotis suis affectibus prosequentes. S. Thomas d. 3. p. q. 81. art. 6. & 7. Suarez d. disp. 77. sect. 2. & 3. & Gobat. d. tract. 3. num. 109. & 110.

Tertium præmissum. Fructus, seu valor Sacrificii incruenti duplex est. Unus ex opere operato; alter ex opere operantis. Hi termini quomodo sint intelligendi, explicuimus in Decisionibus de Eucharistia Decis. LVII. num. 4. ubi ex Theologis Scholasticis ibi allegatis diximus, fructum, & effectum ex opere operato esse illum, qui immediatè provenit ab opere instituto à Deo ad ipsum fructum, & effectum producendum; præscindendo à merito Ministri, & suscipientis. At ex opere operantis fructum illum esse, qui conceditur intuitu bonitatis, devotionis, & meriti Ministri, & suscipientis. Igitur in Sacrificio Missæ, si virtute ipsius Sacrificii, nulla concurrente devotione celebrantis, remittantur ei, pro quo offertur, triginta anni poenarum Purgatorii, talis remissio dicitur ex opere operato. Porro si ob summam devotionem, & pietatem, aliasque virtutes Sacerdotis Hostiam incruentam litantis, remittantur anni quadraginta poenarum; illa decem, supra triginta, censentur fructus ex opere operantis. Gobat. d. tract. 3. à num. 146. & seqq. ubi duo notatu digna ponit, quæ alibi non inveni. Unum, quòd valor ex opere operato ita dicitur in sensu passivo, & in tempore præterito, quia Christus in sua Passione, dumque in hoc Mundo esset, instituit, opera, à quibus immediatè in nos provenirent sua merita, & satisfactiones; videlicet Sacramenta, & Missæ Sacrificium; quæ idcirco sunt opera jam à Christo operata. Alia ex opere operantis ita vocantur: quia respiciunt de præsen-

Doct. Clericali Tom. I. Lib. III.

ti qualitatem ministrorum; qui hic, & nunc eadem Sacra operantur. Alterum notabile est, quòd in Sacrificio Missæ, fructus, seu valor ex opere operato consistit in consecratione, & sumptione specierum consecratarum. Valor, seu fructus ex opere operantis est ille, qui emanat ex devotione celebrantis in accessu ad Altare, in recitatione Introitus, Hymni Angelici, Orationum, Epistolæ, Evangelii, Symboli, & universis omnibus verbis, genuflexionibus, & actionibus ipsis Sacrificantis. Ita d. Gobat tract. 3. num. 152. ex quo licet desumere, quàm exiguus sit fructus Missæ ex opere operantis illorum Mystrarum, qui præcipiti gestu, & celeri voce Missam recitant absque ulla prorsus devotione; & subindè plus valere Sacrum boni, ac devoti Sacerdotis, quàm indevoti; prout respondit Alex. Papa in cap. ipsi 1. q. 1. & docent Sanctus Thomas 3. part. quest. 83. art. 3. Sotus in 4. sent. dist. 13. quest. 1. artic. 6. Pellizarius in Manuali Regular. tract. 5. cap. 9. n. 65. & alii, quos allegat, & sequitur idem Gobat eodem tractat. 3. n. 111. & seqq. & Pax Jordanus tom. 1. lib. 4. tit. 1. n. 35.

His prænotatis, ac præmissis, deveniendò ad resolutionem questionis, Utrum fructus, seu valor Sacrificii Missæ sit finitus, vel infinitus? oportet statim distinguere valorem, & fructum ex opere operantis ab illo ex opere operato: quandoquidem omnes Theologi conveniunt, & concedunt, fructum Missæ ex opere operantis (illum videlicet, qui provenit à dignitate, & bonitate Sacerdotis celebrantis, nec non Universæ Ecclesiæ, ministrantium, adstantium, & aliorum offerentium) esse finitum, ac limitatum; ea ratione quia finita, & limitata est sanctitas omnium mortalium, etiam Ecclesiæ universæ in hac vita. Maffrius in d. quest. 6. de Sacramento Ordinis num. 122. Collegium Salmanticense. dict. tom. 11. tract. 5. cap. 3. num. 1. Et Eminentiss. Cardin. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 4. Cæterum ex opere operato, quatenus valor Sacrificii provenit à Christo principaliter offerente, sunt discordes Scholastici inter se; alii enim affirmant, valorem Missæ esse extensivè infinitum; i-
13
taut una Missa possit applicari pluribus absque eo, quòd ejus fructus minuat ad singulos, atque tantundem unicuique prodest, ac si nulli alteri applicata fuisset. Ita tenent Cajetanus, Sylvester, Canus, Corduba, Vasquez, Nugnus, Poncius, & alii, quos citat Maffrius dicta quest. 6. num. 114. E contra alii asserunt, Sacrificium Missæ etiam ex opere operato habere virtutem ita limitatam, & finitam, etiam extensivè, ut si una Missa dicatur pro pluribus, minus prodest singulis, quàm si dicta esset pro uno tantum, quia fructus, quem habuisset iste unus, dividitur inter plures, & ita singuli minorem partem habent. Ita Divus Bonaventura, Scotus, Riccardus, Durandus, Navarrus, Bonacina, Toletus, & alii apud eundem Maffrium eodem n. 114.

Prinæ sententiæ argumenta principaliora sunt sequentia.

Primò. Sacrificium Missæ quòd ad victimam, quæ in eo immolatur, est idem cum Sacrificio Cænæ, & cum Sacrificio Crucis. Sed illa fuerunt infiniti valoris. Ergo etiam istud.

16

Secundò. In Missa principalis offerens est ipse Christus, ut dictum est in secundo præmissis. Sed Christus est infinitæ dignitatis. Ergo etiam Missa debet esse infiniti valoris.

Tertiò. Fructus Missæ non debet esse inferior, 17
U
quàm

18 quàm fructus baptismi. Sed qui baptizat plures eodem tempore, singulis dat plenam gratiam, & remissionem omnium peccatorum ex opere operato. Ergo idem dicendum in celebratione Missæ.

19 Quartò. Valor, & fructus Missæ nobis applicatur ex meritis Christi. Sed Christi merita sunt infinita. Ergo & fructus Missæ debet esse infinitus.

20 Quintò. Si fructus Missæ esset finitus, & limitatus, non posset Sacerdos facere commemorationem in Missa nisi de illo, qui illa ordinavit. Sed sic est, quod in Memento facit commemorationem de pluribus. Ergo valor non est finitus, neque limitatus.

Sextò. Si esset finitus, vel limitatus non posset crescere ob majorem devotionem offerentis, vel ejus, pro quo offertur. Sed horum devotione crescente, crescit fructus Missæ, ut diximus in tertio præmilo. Ergo non est finitus.

Septimò. Si fructus non esset infiniti valoris, sequeretur, quod quod plures eandem Missam audirent, eò minorem fructum reciperent; talis enim fructus divideretur inter singulos; & proinde consultius esset interesse Sacro, cui pauciores assisterent. Sed hoc est falsum, quia multiplicatis assistentibus Missæ non minus prodest singulis, quàm si singuli soli adessent. Ergo fructus Missæ est infiniti valoris.

Octavò. Bonum spirituale non potest esse minus in sui communicatione, quàm sit bonum corporale, Sed in corporalibus lux & candelæ, & vox ex homine sine diminutione, & aequaliter communicatur tam paucis, quàm multis. Marchinus de Ordine tractat. 3. part. 2. cap. 7. Tamburin. de Sacrific. Missæ libr. 3. cap. 1. §. 2. num. 10. Ergo multò magis fructus Missæ.

Nonò. Facit textus in cap. Non mediocriter 24. De Consecrat. dist. 5. ubi S. Hieronymus ait: Cum igitur pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihilominus, quàm si pro unoquoque ipsorum diceretur, accipitur. Ergo fructus Missæ est valoris infiniti.

Pro contraria sententia, quod fructus Sacrificii incruenti Missæ sit valoris limitati, & finiti hæc sunt potiora argumenta.

Primò: Quia si valor esset infinitus, Ecclesia pro aliqua necessitate plures Missas non multiplicaret; unus enim Missæ valor satis esset. Sed sic est, quod plures, atque plures Missas multiplicat, Ergo non est infiniti valoris.

Secundò: si valor esset infinitus, iniquum esset, applicare uni tantum, cum posset pluribus æquè proficere. Ergo.

Tertio: Morituri frustra ordinarent plures Missas pro se dici; cum satis esset, unam celebrare.

Quartò, Sacerdotes possent pro una Missa plura stipendia recipere, & semel celebrando, pluribus satisfacere, quod est prohibitum per Decreta Urbani VIII. de quibus infra num. 58.

Quintò: Quia valor Sacrificii non tam sumitur ex re oblata, quàm ex oblatione ipsa. Sed oblatio, utpotè Sacerdotis, & Ministri non potest esse infiniti valoris. Ergo neque Sacrificium.

Sextò; Quia si valor Missæ esset infiniti valoris, essent superflua legata annua Missarum, & Capellanæ perpetuæ; nam unicum Sacrum evacuet totum Purgatorium. Ergo.

Septimò: Item frustra essent ordinatæ ab Ecclesia speciales orationes tum pro vivis, tum pro defunctis, & ad nihilum deserviret diversitas earum, cum in

Missæ non plus valeret illis, pro quibus recitantur, quàm generaliter cuiusque in Ecclesia.

Octavò: Si valor esset infinitus, facerent contra charitatem illi Sacerdotes, qui ex devotione celebrarent pro una anima in particulari, quæ esset in Purgatorio; cum ex lege charitatis deberent, eam celebrare pro omnibus animabus ibi existentibus, illas æqualiter liberando.

Nonò: Tota efficacia Sacrificii Missæ consistit in applicatione valoris Sacrificii Crucis; ut ait Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. & 2. Sed hæc applicatio fit finito modo, & per partem; non autem absolute, & indefinite. Pasqualigus de Sacrific. Missæ quest. 119. num. 3. & 4. ubi plurimos DD. cumulat, & Matrius in 4. d. disp. 4. quest. 6. num. 117. Ergo non est infiniti, sed limitati, & finiti valoris.

In hac controversia distinguere oportet: aut disputamus, an Sacrificium Missæ in se, & in actu primo habeat valorem infinitum? Et respondendum est affirmative ob rationes, & argumenta pro prima opinione relata: aut quaerimus, an dictus valor sit infinitus in applicatione, & in actu secundo? Et ad hæcendum est opinioni negativæ; ratio autem est, quia talis fuit dispositio Divinæ sapientiæ, & mera voluntas Christi Domini, cujus intentio in tanti Sacrificii institutione cum fuerit, ut illud frequenteretur, & sæpius offerretur; idcirco ob hoc motivum, & ob hanc causam voluit, ut sua merita, & satisfactiones infinitæ huic Sacrificio incruento annexæ non applicarentur hominibus, nisi modo finito, & limitato; & cum virtute finita, ut ex mente Divi Bonaventuræ, & ex doctrina Scoti deducit Matrius d. q. 6. num. 115. & num. 117. Atque in Theologia Morali disp. 19. a num. 55. & seqq. & Pasqualigus d. quest. 119. num. 4. & 5. ubi reddit rationem, & convenientiam, ob quam Christus Dominus noluerit, quod suæ sanctissimæ Passionis, & Sacrificii Crucis merita essent applicabilia omnia simul, & in finito modo; sed tantum per partes, & modo limitato, ac finito. Idipsum docet S. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. quest. 2. Et. 3. p. q. 79. art. 5. Eminentiis. Cardin. Toletus lib. 2. cap. 6. & 8. Cardin. Bellarminus d. lib. 2. de Missa cap. 4. Propos. 4. Reginaldus lib. 29. num. 152. Gavantus part. 2. tit. 8. num. 3. sub lit. P. & alii, quos citat Layman. lib. 5. tract. 5. cap. 1. num. 9. ubi ita scribit: Licet Sacrificium Missæ ex natura sua, sive secundum primam, & remotam potentiam spectatum, habeat infinitam dignitatem, & valorem impetrandi, & fructum satisfactionis applicandi, tum ratione rei oblate, tum ratione primarii offerentis, qui est Christus Dominus, propter hypostaticam unionem infinitè dignus; attamen spectatum hoc Sacrificium secundum proximam potentiam, quam habet ex Christi institutione, & voluntate, non habet efficaciam producendi effectum infinitum, sed semper finitum, ac limitatum tam intensivè, quam extensivè.

Hæc distinctione stante, virtualiter tolluntur argumenta contraria; verum quia particularis responsio, (ut ajunt Legulei nostri) juris magis atridet, & Alio autem modo. Inst. Quibus mod. test. infirm. sic respondere potest argumentis primæ opinionis.

Ad primam, concedendo Sacrificio Missæ esse idem cum Sacrificio Ccenæ, & cum Sacrificio Crucis, & habere in se eandem infinitam dignitatem, & valorem; sed non esse applicabilem nobis, nisi limitato modo; sic Christo volente ob hanc unicam differenciam inter Sacrificium incruentum, & illud cruentum; quod scilicet cruentum non sit reiterabile; incruentum verò potest, & debet jugiter reiterari.

Ad

Ad secundum respondetur, concedendo pariter eundem esse offerentem utriusque Sacrificii Christum Dominum; sed cum hoc discrimine, quod in Sacrificio Missæ offert per manus Sacerdotum suorum ministrorum, at nunc actu non meretur, neque satisfacit, sicut fecit in cruce; siquidem merita, & satisfactiones suas præteritis infiniti valoris annexa esse voluit huic Sacrificio; sed dari nobis per modum finitum, & limitatum; ad hoc ut in populo fidei sapienter fieret hæc oblatio, & frequentaretur hoc Sacrificium, Maffrius d. disp. 4. quest. 5. numer. 113. numer. 117. & numer. 123.

Ad tertium respondetur plures baptizatos eodem tempore, idem recipere plenariam remissionem & culpæ, & poenarum, quia quot sunt baptizati tot sunt baptizati: at in casu nostro Sacrificium Missæ remanet semper unum, etsi pro pluribus applicetur, & idem illidem non imperitur valor infinitus.

Ad quartum respondetur, utique merita Christi esse infinita, & infiniti valoris; sed ipse voluit, nobis applicari non infinito modo, sed limitato.

Ad quintum respondetur; quod Sacerdos obligatus ob stipendium offerre Sacrificium pro uno, potest orare etiam pro aliis; quia his applicat fructum ex opere operantis; non autem illum ex opere operato; qui semper totus esse debet illius, à quo datum est stipendium pro Missa. Maffrius d. quest. 6. numer. 124. Vers. Ad ultimum respondetur.

Ad sextum respondetur ex communi Theologorum sententia, triplicem esse fructum Missæ, generalissimum, medium, & specialissimum. Primus ex institutione Christi in omni Missa datur toti Ecclesiæ, id est omnibus fidelibus; secundus conceditur illis, qui aliquo modo concurrunt ad celebrationem illius particularis Sacrificii; tertius est proprius ipsius Sacerdotis celebrantis. Nicolius in *Flocculis Verbi. Missa* num. 2. Tamburinus de *Sacrific. Missæ* lib. 3. cap. 1. §. 1. num. 2. & Gobat d. tract. 3. à num. 129. nec non illorum, qui Missam audiunt, & suo modo concelebrant cum Sacerdote, & habent ex eadem Missa suum fructum specialissimum. Quartus in *Appendice d. q. 2. punct. 17. vers. Dico tertio*. Modò prædicti fructus crescunt vel decrescunt quod ad eorum intensiorem juxta maiorem, vel minorem devotionem fidelium, quibus conferuntur; sed non dantur nisi limitato, & finito modo, ut dictum est, quamvis exhauriantur ex fonte perenni, nempe ex meritis, & satisfactionibus Christi infinitis. Maffrius d. q. 6. numer. 125. Et ex hoc patet responsio.

Ad septimum, quod nil depoget fidelibus quod ad fructum, si plures assistant ad eandem Missam, vel pauciores, quia cum meritum, & satisfactionum Christi valor sit infinitus, & perennis, de eo quilibet participat juxta suam dispositionem sine præjudicio aliorum, qui eodem tempore interfunt eadem Missæ. Maffrius ibidem numer. 127.

Ad Octavum. Maffrius d. disp. 4. De Sacramento Ordinis q. 6. numer. 126. respondet dupliciter. Primo, quod lux æqualiter illuminat plures, & vox replet aures multorum, si sint in eadem sphaera, & capacitate; & ex hoc deducitur, quod quamvis multi in magno numero sint præsentibus eidem Sacrificio Missæ, si habeant eandem devotionem, & capacitatem, recipiunt æqualem fructum generalissimum, communem omnibus, ut dictum est supra. Secundo, potuisse quidem Deum facere, quod etiam fructus medius, qui soli ei datur, pro quo Missa offertur, posset cum eadem Missa prodelle pluribus, sicut prodest illi soli; sed noluisse; &

Doct. Clericali Tom. I. Lib. III.

ita, & taliter ordinasse applicationem suorum meritum in Missa, ut adinstar eleemosynæ, si pluribus dispensaretur, minor pars singulis contingeret. Idcirco opinio Marchini reprobatur à Tamburino d. §. 3. numer. 11.

Ad nonum multæ sunt responsiones, quæ dantur ad d. cap. Non mediocriter 24. de Consecrat. dist. 5. Prima quod ea verba sunt intelligenda de fructu specialissimo, spectante ad ipsum celebrantem; qui tantum habet pro se, si offerat Sacrificium pro uno solo, quam si pro pluribus. Ita Glossa ibid. in Verbo Dum igitur. Secunda; loqui textum illum de fructu ex opere operantis, qui fructus est, in una Missa celebrata cum devotione, & hilaritate mentis, æquivalens fructui centum Missarum celebratarum cum anxietate, & sine devotione. Ita eadem Glossa ibi. & Maffrius in 4. sent. d. disp. 4. q. 6. numer. 123. Tertia, quod etiam ex opere operato idem est fructus Missæ celebratæ pro una persona tantum; ac celebratæ pro pluribus personis: sed non sequitur, tantam portionem dari singulis, si pro pluribus celebretur, quantum unus solus habet, si pro eo solo celebratio fiat. Ita Covaruvias in cap. Alma Mater part. 1. §. 5. numer. 9. in fine. Quarta est Pasqualigi de *Sacrific. Missæ* quest. 123. numer. 10. ubi ait, illa verba non esse Divi Hieronymi, sed addita à Gratiano, & desumpta à verbis Lupi de Olivero in Regula Monachorum; collecta ex scriptis D. Hieronymi cap. de Contemplat. Orat. & Lect. & dicta verba sunt intelligenda de valore proveniente ex devotione, vel indevotione celebrantis, & sic ex opere operantis, idque manifestum est, quia loquitur ibi textus tam de Missa, quam de recitatione Psalmorum; certum est autem, quod Psalmi non dant fructum ex opere operato, sed proveniunt fructus ex devotione recitantis, qui fructus unius Psalmi recitati cum hilaritate mentis potest coæquare fructum centum Psalmorum recitatorum cum pigritia, & idem censendum est de Missa circa fructum ex opere operantis.

Ex hucusque deductis colligendæ veniunt sequentes conclusiones, valde utiles tum ipsis Sacerdotibus, tum Parochis pro excitando populo ad devotionem erga Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

Conclusio prima. Fructus generalissimus in unaquaque Missa designatus est à Christo toti Ecclesiæ tam militanti, quam purganti, ut dictum est supra numer. 41. Hinc fit, quod singula Sacrificia, quæ in toto mundo celebrantur, profunt omnibus Christianis (excipe excommunicatos, & existentes in peccato mortali) vivis, atque defunctis, tum ad remissionem poenarum pro peccatis jam condonatis debitæ; tum ad impetrationem bonorum, spiritualium, & temporalium, ut docet Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 3. disp. 79. sect. 8. Valquez, & Tannerus apud Gobatum d. tract. 3. numer. 129. Hujus conclusionis clarum testimonium est oratio illa, quam omnes Sacerdotes recitant celebraturi, Ego volo celebrare Missam, & conficere corpus, &c. quæ decorata est Indulgentia annorum quadraginta, toties quoties à Liturgiis recitatur, per Gregorium XIII. ut ostendi in meis Decisionibus de Eucharistia Decis. XLII. num. 2. & 3. in ea enim proficitur Sacerdos, se oblaturum Sacrificium, ad utilitatem suam, totiusque Curie militantis, & pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus suis in genere, & in specie, & pro felici statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; videlicet pro toto populo Catholico

U 2

Chri-

Christiano; & idem denotant formulæ pro utroque Memento.

- Conclusio secunda; De fructu Missæ non solum generalissimo, sed etiam medio (saltem nisi iste totus ob stipendium debeat uni soli) participant omnes illi, qui aliquo modo coadiuvant celebrationem Sacrificii. Hos inter sunt æditui, ministri in Missa; & qui dederunt necessaria ad eam celebrandam, puta Calicem, paramenta, Hostias, Vinum, seu candelas. Gobat. d. tract. 3. num. 107. Hinc plures gratias receptas à custodibus Ecclesiarum, & ab his, qui Altaria ornata tenent, referunt Historiæ; prout de illis, qui devote ministrant, & respondent Sacerdoti celebranti, quorum exempla plura narrat Sperellus in *Paranesi Teleturg. cap. 22. per totum*, ubi num. 4. specialiter notat, quod S. 48
- Thomas Aquinas quotidie Sacro inserviebat, & pluries in anno idem in Basilica Divi Marci facit Serenissimus, ac Pissimus Dux Venetiarum. De S. Wenceslao Duce Bohemiæ legimus in Breviario Romano die 28. Septembr. l. 1. 5. quod ipse Summa 49
- religione Sacerdotes veneratus, suis manibus triticum ferebat, & vinum exprimebat, quibus in Missæ Sacrificio uterentur. In vita S. Trefiæ scripta ab Illustrissimo, & Reverendissimo Didaco de Yepes Episcopo Tarracoenfi, qui fuit Philippi secundi Regis Hispaniarum, nec non ejusdem Sanctæ Terefiæ Confessarius, de eadem Sancta lib. 3. cap. 20. refert, fuisse sollicitudinis eximie circa res omnes 50
- spectantes ad divinum Eucharistiæ Sacrificium his verbis: *Haveva grandissima premura, che tutto quello, che apparteneva al culto, & alla venerazione di questo Santissimo Sacramento, fosse molto perfetto, (Notent Parochi) e molto netto; non solo gl'Altari, Pallioeti, Ornamenti, Corporali, e Calici; mà le altre cose minori ancora; e che più da lungi sono ordinate al suo culto, e riverenza.* Et paulo post narrat, cum sibi celebraturo Sancta Terefia misisset manutergium summe odoriferum, ipse eam reprehendit; at ille respondit, ubi agitur de cultu incruenti Sacrificii, vellem, ut tota Ecclesia angelica aqua lustraretur; quare ibi prædictus Auctor concludit: *Da questo sono venuti i suoi Frati, e le Monache ad essere tanto diligenti nel culto Divino, che non si trova simile pulitezza d'Altari in parte del mondo, che io conosco.* Repetendum hic etiam est exemplum illud, à nobis relatam supra Decis. XIV. 51
- num. 21. de nobili adolescente Vallisoleitano, qui donaverat domum S. Terefiæ ad fabricandam Ecclesiam; mortuus enim non multo post, meruit liberari à pœnis Purgatorii virtute primi Sacrificii, & primæ Missæ celebratæ in prædicta domo in Ecclesiam conversa, ut scribit ipsamet Sancta Terefia tomo secundo suorum operum cap. 15. Et quod magno per proficiat ad auxilia gratiæ, & alia divina beneficia obtinenda, edificare Ecclesias, in quibus Sacrosanctum Missæ Sacrificium Deo possit offerri, disserit etiam Hieronymus à Basilica Petri in *Ephemerid. Sacris tom. 2. calendis Februar. in Vita S.*
- 52 Severi de Montefalco, qui cum reperisset thesaurum, data Imperatori medietate, aliud dimidium in constructione Ecclesiarum consumpsit; & in Sanctorum numerum meruit collocari. Ex quibus, & consimilibus exemplis poterunt Parochi pietatem fidelium excitare, præcipue divitum, & nobilium hominum; ut se liberales reddant erga Ecclesias, & in necessariis pro incruento Missæ Sacrificio, ex cujus jugi celebratione, etiam post co-

rum obitum, magnam fructus portionem reportabunt. Gobat. d. tract. 3. n. 107. & 108.

Tertia Conclusio: Ipsi Myltæ, & Sacerdotes devotè celebrantes habent in omni sacrificio, quod litant; suum specialissimum fructum; qui quidem non solum est æqualis fructui medio competenti 53

stipem danti pro Missa; sed etiam major; tum ex ministerio proximiori, tum ex majori devotione, & fide, quæ inter celebrandum multipliciter excitantur; ut scribit Gavantus in *Rubric. Missal. d. part. 2. tit. 8. num. 3. litt. P.* & admittit Gobat. d. tract. 3. num. 139. Ex quo comprehendere licet, quanta laude digni sunt tum Sacerdotes, qui quotidie devotè celebrant, tum fideles, qui frequenter Missam pie audiunt; omnes enim reportant à Missa fructum specialissimum, etiam ex opere operato, ut probat Suarez in 3. p. disp. 79. sect. 8. vers. Quarto de ceteris. At è contra quam reprehensibilis sint illi, qui caractere Sacerdotali insigniti abstinent à Sacrificio; hi enim (ut ajebat Ven. Beda, relatus à Gabriele Biel in *Canone Missale. 87.*) quantum in eis est, privant SS. Trinitatem laude, & gloria, Angelos letitia, peccatores venia, justos subsidio, & gratia; in Purgatorio existentes auxilio, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsos medicina, ac remedio. Præterquam quod probabilius est opinio Doctorum scribentium, Sacerdotem aliquoties in anno ad Altare non litantem peccare mortaliter, per textum in *cap. Dolentes 6. De Celebratione Missar. ubi Berbosa DD. allegat n. 12.* & Fagnanus in *cod. cap. Dolentes à num. 3. & seqq.* subdens, quod multo magis Episcopi debent saltem semel in hebdomada celebrare: quinimo non deest, eos transire abique causa rationabili ullam diem, qua Missam, vel dicant, vel audiant, ut est expressum in *cap. fin. de Privileg. in 6.* Et de obligatione Sacerdotum Prælatorum, & Antistitem frequenter Missam celebrandi, videnda est elegans, 55

sed fortissima concio Joannis Pauli Olivæ Generalis Societ. JESU ex his, quæ habuit in Palatio Apostolico, & est in *secunda parte Concilio XIII. alias LI.* digna quidem, ut à Mystis omnibus legatur.

Quarta tandem conclusio: Licetum est Sacerdotibus accipere stipendium pro celebratione Missarum, nec argui possunt de Simonia, quando celebrant principaliter ob Divinum cultum, & salutem animarum, & secundario propter stipendium, ad eorum sustentationem; ex doctrina S. Thomæ in *Quodlibet. 8. art. 11.* relata per Cardenam in *Crisi Theologica Posthuma Dissert. 27. n. 102.* Quod etiam ostendit Mastrius in *Theolog. Moral. d. disp. 19. n. 75.* Sed est omnino illicitum accipere plura stipendia pro pluribus Missis, & iidem satisfacere unius tantum Missæ celebratione, tum quia id 57

prohibitum est in Decretis Urbani VIII. de celebratione Missarum anno 1625. (quæ leguntur penes pacem Jordanum tom. 1. lib. 4. tit. 1. n. 515. Tamburinum de *Sacrific. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 1. n. 7. & seqq.* & Gobatum d. tract. 3. num. 518.) tum etiam quia id damnatum est ab Alexandro VII. in propositionibus scandalosis, anathematizatis Anno 1665. quas per extensum ponit idem Cardenas in *Crisi Theologica part. 1. tract. 1. disp. 19. n. 322.* nec non novissima Summa Diana in *fine voluminis*, & Busembaum impressus Venetiis Anno 1686. pariter in *sine libri.*

Verba Decreti Urbani sunt ista: *Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plu-*

SUMMARIUM.

plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sic ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, &c. Sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandata, ac precipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributa elemosyna præscripta fuerint (utique à dante elemosynam, ut eadem Sacra Congregatio declaravit super dubio secundo) itaut alioquin ii, ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant; quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Propositiones verò damnatæ ab Alexandro VII. sunt sequentes. Octava, Duplex stipendium potest 59 Sacerdos pro eadem Missa licite accipere; applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII. Decima. Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere; & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Quodd si querat Lector, an detur casus, in quo pro una Missa recipi possint plura stipendia? Affirmant Tamburinus de Sacrificio Missæ d. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 66, si stipendia iusto minora forent; & Sacerdos ille è necessitate adactus sic illa reciperet. Idem concedit Cardenas in Crisipart. 1. tract. 2. disp. 20. num. 120. Si Mystra sit in gravi necessitate; & qui dat stipendium pro Missis sit dives; nam, ait, recipit Sacerdos stipendia non pro Missis, sed pro debito, quod ille dives habet de jure naturæ, elemosynam sibi tradendi. Prædictis tamen suæ Societatis Patribus non consentit Gobat. d. tract. 3. num. 568. quia nunquam licita est fraus, à qua excusari non potest talis Sacerdos, qui suæ indigentiae consulere debet modis licitis, vel aperte manifestando suam necessitatem; præterquam quodd, cum nullus ordinetur in Sacris absque sufficienti titulo, vel Patrimonio, ut hic Patavii rigorose servatur, non est probabilis dicta gravis necessitas, nisi in Religiosis malæ vitæ, & ad vitia propensis. Et etiam in casu inculpabilis supervientis paupertatis, Missa non est instituta instar mechanicæ artis ad sustentandam vitam corporalem Sacerdotum, ut ait Diana part. 1. tract. 8. resol. 67. §. 7. qui aliquo licito labore debent sibi victum procurare. cap. Clericus. dist. 91. cap. Nunquam conferret dist. 5. Quare Litantes ad Aras Sacras sciant, se unico stipendio pro unoquoque Sacrificio contentos esse debere, aliàs peccare mortaliter, & restitutioni esse obnoxios.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Utrum fructus Missæ Latreuticus, Satisfactorius, Propitiatorius, & Impetratorius sint separabiles, & independentes à se, itaut in una Missa possint diversis personis, & ad diversos fines applicari? Prædicti fructus an semper dentur infallibiliter ex opere operato? Sacerdotes non celebrantes an graviter peccent? Exemplum apparitionum Animarum duarum Purgatorii de anno 1640. & 1658. Es alienum solvendum in hac vita, Pœnalitates juvant mortuos.

- 1 Fructus Missæ diversi an diversis applicari possint?
- 2 Missa continet in se omnia Sacrificia Mosayca.
- 3 Capellanus an pro quatuor petentibus Missam ad diversos effectus possit eam celebrare?
- 4 Fructus Missæ sunt separabiles, & divisibiles.
- 5 Missa absque stipendio est applicabilis pluribus ad diversos fines.
- 6 Stipendiis pluribus unica Missa non satisfacit.
- 7 Stipendia plura pro eadem Missa recipi possunt, si dantes illa expresse consentiant.
- 8 Satisfactorius fructus Missæ infallibiliter datur ex opere operato tam vivis in gratia existentibus, quam animabus Purgatorii.
- 9 Impetratorius fructus Missæ an detur infallibiliter ex opere operato?
- 10 Sacerdotes negligentes celebrare, vel differentes nimis peccant mortaliter.
- 11 Lame à Vivi dall' esempio de Morti, Liber utilissimus.
- 12 Anima adolescentis defuncti anno 1658. apparuit amico suo, & petiit suffragium sex Missarum.
- 13 Anima cuiusdam Parochi Anno 1640. & 1641. ter apparuit, & postulavit à Parochiano suo plura suffragia.
- 14 Jejunia, & disciplina juvant animas Purgatorii.
- 15 JESUS, MARIA, & Laudatum sit Sanctissimum Sacramentum, ajunt anime Purgatorii, & num. 17.
- 16 Manus ignita signum impressum in humero hominis ab anima Purgatorii.
- 18 Crucis signum impressum ab Anima Purgatorii in brachio Viri.
- 19 Sacerdos raro celebrans graviter peccat.
- 20 Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum.
- 21 Solutio debitorum est de jure naturali Divino.
- 22 Debito non est absolvendus, qui non vult restituere in vita.
- 23 Jurgia cum proximis luuntur in Purgatorio.
- 24 Parochi tenentur dare exempla mansuetudinis.
- 25 Audire Missam prodest animabus Purgatorii.
- 26 Penalties hujus vitæ juvant animas Purgatorii.

Firmamente doctrine, quod plura stipendia recipi non possint pro uno Sacro faciendo; neque unius Missæ celebratione posse pluribus stipendiis satisfieri; disputant Theologi, cura fructus Sacrificii sint diversi, an eos dividere possit Sacerdos in Missa, illosque applicare diversis personis, vel ex sua devotione, & liberalitate; vel etiam accipiendo stipem?

Pro intelligentia repetendum est memoriter, quod explicuimus supra Decif. XVII. Missæ scilicet Sacrificium continere in se omnia genera Sacrificiorum Mosaycæ Legis, quæ fiebant in Dei honorem, & gratiarum actionem; ad Deum propitiandum, ad beneficia impetranda; & ad satisfactionem pro peccatis; quapropter fructus Sacrificii Missæ, vel est Latreuticus, & Eucharisticus; quatenus offertur ad Deigloriam, ac in gratiarum actionem pro receptis beneficiis; vel est Propitiatorius, dum quis petit remissionem culpæ, & emendationem vitæ; vel Impetratorius, quando postulatur aliquod beneficium vel spirituale, vel temporale; vel tandem est Satisfactorius, dum applicatur pro satisfactione peccatorum, quas quis debet pro peccatis remissis.